



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XVIII. S. Vrbanvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

nem habeant: quia nulli Imperatori, aut cuiquam pietatem custodiendi licet aliquid contra diuina mandata præsumere. ^b Hic constituit, vt accusationem aduersus Doctorem nemo suscipiat, ^c nec accusatio facta per scriptum recipiatur, nec absente accusato testimonium de eo dicatur. nec de aliis causis, vel negotiis testimoniū dicant. nisi de his, quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Nec accusatores vel testes suspecti, vel infamiæ nota aspersi recipiantur, nec excommunicatos à sacerdotibus ante vtriusq; partis iustam examinationem vllus recipiat, nec modo aliquo eis communicet, & vt nemo alterius terminos vsurpet, nec alterius Parrochianum iudicare aut excommunicare præsumat, quia præsumptum irritum erit. Nec etiam Metropolitanus dicecesani Ecclesiam, vel Parrochianum, aut aliquid ex eius parrochia excommunicare, vel iudicare, aliquid ué agere præsumat, absque eius consilio & iudicio: quia & quod fecerit, irritum erit, & ipse gradus sui periculo subiacebit. Constituit etiam vt Episcopus quilibet ambitus causa ad aliam ciuitatem non transmutetur, sed si fieri debet, fiat cæteris fratribus inuitantibus, & Romanæ Ecclesiæ auctoritate, & illius Ecclesiæ, ad quã transmutandus est, utilitate. Præcepit etiam, vt consanguineorum coniunctiones fieri omninò prohibeantur. quia tales nullum habent pondus testimonii. ^d Confirmauit etiam, & saluberrimis exemplis diuinę scripturæ ostendit tam sacerdotes Domini, quàm reliquos fideles post dignam satisfactionem posse reuocari ad pristinos honores. Hic ordinauit Episcopos 8. presbyteros 15. diaconos 4.

XVIII.

S. V R B A N V S.

A. COXXVI.

VRBANVS, natione Romanus, ex patre Pontiano, fedit annos 9. menses 10. dies 12. Fuit autem temporibus consulatus Antonini & Alexandri. Obiit verò confessor temporibus Diocletiani 8. Kal. Iunii. Hic in suis decretis confirmat, ^a vt prædia & quæcunq; res à fidelibus Ecclesiæ Dei traditæ sunt, temper esse debeant in potestate & dispositione Episcoporum, in quorum parrochia ipsæ Ecclesię sunt sitę, & ipsi Episcopi ex ipsis rebus omnibus communem vitam degere volentibus cuncta necessaria ministrare; nec quicquam eorum in alios vsus, quàm Ecclesiasticos conuertere debeant, quia *vota sunt fidelium, & pretia peccatorū, ac patrimonia pauperū,* Et quæcunq; in alios vsus, quàm in prædictos cōuerterint, necessariè sacrilegii rei existunt, & si non corpore, anima tamen mortui cadunt

^a epist. 1. ad omnes fideles.

^b in eadē epi.

^c ep. 2. ad Episc. Gallie.

2. q. 8. c. accusa foruz.

11. q. 2. c. excommunicatus.

9. q. 2. c. nullus alterius.

9. q. 3. c. nullus primas.

3. q. 4. c. consanguineorum.

^d in fine 2. epi.

cadunt.^b Et sedes Episcoporum ideò in Ecclesiis excelsæ constituuntur, vt ex hoc Episcopi prælationem atque potestatem ligandi & soluendi habere intelligantur, & omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debeant, vt pleni Christiani inueniantur. Hic Valerianum Cecilix sponsum, multosq; alios ad fidem Christi conuertit, & ad martyrii palmam perduxit. Hic ordinauit Episcopos 8. presbyteros 19. diaconos 7.

XIX.

S. PONTIANVS.

A. CCXXXIII.

PONTIANVS, natione Romanus, ex patre Calpurnio, sedit annos 9. menses 5. dies 2. Fuit autem temporibus Alexandri, à consulatu Pompeiani, & * Peliniani. Eodem tempore prædictus Pontifex cum Hippolyto presbytero in exilium est deportatus ab Alexandro in Sardiniam, in insulam Bucinam Seuero & Quintiano consulibus, & in eadem insula afflictus, & maceratus fustibus defunctus est 3. Kalend. Nouemb.^a Hic etiam in decretis suis mandauit sacerdotes non esse accusandos ab inimicis, aut à sceleratis, aut hominibus alterius sectæ vel religionis, vel, si fortè peccauerint, à reliquis sacerdotibus arguendos, & à summis Pontificibus constringendos esse præcepit, ita vt nullo modo à secularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur vel arceantur. Hic ordinauit Episcopos 7. presbyteros 6. diaconos 5.

XX.

S. ANTHERVS.

A. CCXXXVII.

ANTHEROS, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos 12. mensem 1. dies 12. Fuit autem temporibus Maximini & Africani Coss. Hic gesta martyrum diligenter à Notariis exquisiuit, & in Ecclesia recondidit. Qui 3. Nonas Ian. martyrio coronatur. Hic ordinauit Episcopum vnum.^a Hic etiam consultus, de Episcoporum mutatione, fieri licere in suis decretis respondit, non tamen cuiusquam libitu aut dominatione, sed communi vtilitate aut necessitate, sicut Petrus Apostolorum Princeps de Antiochia Romam vtilitatis causa est translatus, vt ibi plus proficere posset. Et Eusebius etiam de parua quadam ciuitate Apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam, similiter & Felix de ciuitate qua ordinatus erat, electione ciuium propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum & reliquorum sacerdotum, aut populorū consilio translatus est Ephesum, quia sicut